

gravis, optimisque instructus codicibus, adstruit. Quod si ita κρίσιν exercere uelimus, quis tandem κρίσεως, emendationum, et exculpationum erit finis. Accedit et alios ex Africanis, qui Tertulliani libros, manu, diurna nocturna-que, solebant terere, eiusdemque Φράσις, et loquendi modos complecti, Domitianum dixerint *Neronis partem*, siue *portionem*. Petilianus, Donatista, apud Augustinum. *Relinquam Neronem, qui primus, persecutus est Christianos; Domitianum similiter, Neronis maximam partem*. Quem locum ad illustrandum Tertullianum pridem, neque id immerito, adduxit Rigaltius. Neque tandem uideo, qui *Neronis parui* denominatio in Domitianum competat, quem crudelitate Neroni haud inferiorem, sed parem historiae dicunt. Sufficiat uel solum adduxisse Lactantium, qui in egregio, de Mortibus Persecut. Libro c. III. de Domitiano, *post hunc, Neronem*, inquit, *interiectis aliquot annis, alter non minor tyrannus, Domitianum intelligit, ortus est*. Quod si interim Arabs per Neronem paruum, Domitianum intellexerit, non caret eius narratio probabilitatis specie, Ioannem ab ipso Domitiano libertati esse restitutum. Nam ipse Domitianus, quae sunt Tertulliani, in Apol. c. V. uerbra, *facile coeptum repressit, restitutus etiam, quos relegauerat*. Scio uero, Eusebium, in Chronicis ad Neruae, Hieronymum, in Cat. S. E. c. IX. ad Pertinacis, hanc Ioannis, restitutionem reiicere tempora, nisi mendum agnoscere in Hieronymo cum Victorio, et aliis uelimus.

XIX. Non leuiter tandem inscriptionis ἀσθεντία inde labefactatur, quod uideam, ex Patribus, primi, secundi, addo, et tertii seculi, neminem plane Ioannem Θεολόγον dixisse, etiam tum quando eius ἀποκαλύψεως meminerunt. Owenus quidem in Θεολογ. c. I. p. m. s. Origenem primum id fecisse, scribit. At enim scripsisse mihi hoc uidetur Grotii saltem, innixus auctoritate, siquidem nullo suae fidei assertioni testimonio conciliauit. Obtinuit haec appellatio, seculo demum IV. et, nisi me omnia fallant, primus, uel saltem inter primos, Eusebius
Euse-